QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, die Iouis viij. Martij.

M. STEPHANO LE GAIGNEVR, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

Eſt-ne ſenibus ſtudium contentius ſalubre?

I.

QVISQVIS calorem ætate longâ, atque obruentium excrementorum copiâ extinctum penè ac languentem excitare nouit, huic vni certa conſtat ratio ſenectutis in interitum ruentis ſuſtinendæ, atque ex mediâ mortis viâ in meliorem vitæ curſum reuocandæ. Equidem tantum de ſe profitetur Medicus, nullius rei quæ ad ſenum corpus vel animum pertineat, non magnopere ſollicitus, quinetiam plurima, quæ omnem retrò ætatem interdixerat, largitur ſenectuti, vt quater quotidie paſci, vino meraciore vti, aliàs lacte ſolo veſci, ſolidum diem inſititio ſomno diffindere, denique Medicus ſenibus author eſt corpuſculi vbique molliſſimè tractandi, et procul ab omni re moleſtâ et operosâ delicatè componendi. Sed cùm ſe ille ad animum conuertit, atque ex huius robore vel imbecillitate, quiete vel operâ, ex hac contentâ vel remiſsâ res ſenum impertitur et dirigit, immenſùm Medicina diſcrepat. quia enim ſenes animum valentem ac firmum gerunt, nunquam ad inertiam, nunquam ſine ijs quas callent literis dimittendi ſunt; multò magis, ne mentem vnà ſecùm deorſùm ducat iam inclinata nutantis domicilij compages, erigendi ſunt ad ſapientiam

quam attingunt, et contentiori magnarum rerum ſtudio extollendi, vt breue illud vitæ quod ſupereſt, illi benè agant et ſalubriter.

II.

STVDIVM vehemens et aſſidua eſt animi ad rem aliquam magnâ cum voluntate applicatio, cuius modus ſuſcipientis vtilitate, viribus magnitudo commetienda eſt. Hujus vtriuſque rei cognitione et vſu eligendis atque regendis hominum ſtudijs Medicina dominatur, ſic nullius parcit induſtriæ, cuius vitam tuendam recipit, et libero atque expedito animo, ne ægris quidem concedit, vt illiterato jaceant in otio, et doctis ad lectulum tantùm ſedentibus. Attamen moderandâ cuiuſuis operâ, nihil ars vel ad præſentem vel ad futuram valetudinem obtinere poſſit, poſthabitâ ætatis ratione, in quâ omnia ſunt ad incitandum vel ad remittendum ſtudium momenta, pueri vel remiſſis ſtudijs vires addunt menti et corpori, in iuuene paulò magis et diù intenta cogitatio valentiſſimæ exercitationis vices implet, pari in bonam vel malam partem ſucceſſu, maturis ætate viris ſæpè magno conſtitit repoſitis ſtudijs molles annos agere, quorum intererat ad melioris et diuturnioris vitæ ſpem ſtudia vel intendere, vel nunquam remittere, ſenibus deſidibus et otioſis ætas ipſa morbus eſt, et nullis *μελαγχολώντων* ſymptomatis non obnoxia. Neſcis qui fatis et atrâ bile imminentibus ſtudia refugis, aut in ſuſceptis vt pigrere ætatem obtendis, quàm ſcitum illud ſit, et aduerſus morbos à corpore in animum ingruentes conueniens, diſcendo velle ſenem fieri.

III.

IN ſtudioſâ ſenum contentione, quæ bona! Cùm animus quem verè liberum et tranquillum ſola ſenectus et ſtudia efficiunt, omni curâ ſolutus, anquirendis rebus ſeſe acriùs intendit, confeſtim calor mentis regiam blandiùs occupat, quam cum vniuerſam purior colluſtrauit, hinc ad ſingulos ſenſus extendit atque exporrigit vim ſuam, et bene curatâ illorum acie, fideles ſibi comparat rerum internuntios; iam optima cerebri temperies, et Heracliteam ſiccitatem adepta ſpiritus profert tenuiſſimos, puriſſimos, atque æthe-

reæ lucis magis participes:illud verò excrementorum et caliginis, quod cerebrum vel ſenſuum organa collegere, aut ijs aliundè offuſum inhæſit,poſt contentiora ſtudia vix vllum ſupereſt, quod ante inchoata paucum erat, et leue futurum calori inter quotidianos animi conatus inualeſcenti. Alteram verò animi ſedem vniuerſi ſanguinis fontem, cor,ſenilia modò contenta ſint, etiam attingunt ſtudia. Nam animi acquirendâ rerum cognitione ſeſe paſcentis ſumma oblectatio nobiliſſimum viſcus ſuauiùs commouet incitátque, vt viuificum rorem fundat in proprios et ſtatos circuitus, vt quò animus ſtudendo magis agitatur, eò ſalubriùs cor incaleſcat, aptiuſque fiat, vt redditum ſibi ſanguinem denuò recoquat, et diligentiùs elaboret. tandem partes quæ alimentum conficiunt, ijſdem bonis, quibus cor et cerebrum, cumulatæ, ab aſſiduâ animi contentione jucundam et excrementis vacuam præſtant ſenectutem,ſtudiorum vi exſuſcitatis vbique calore et ſpiritibus,et naturâ totis viribus tam ad ſapientiam, quàm ad bonam valetudinem connitente.

IV.

SENECTVS humanæ pars optima vitæ, homini inter animantes longiſſima conceſſa fuit, vt diuino rationis munere vti meliùs et diutiùs poſſet. Eſt enim propria ſenilis ætatis ſapientia, id eſt, perfecta et conſummata ratio. Hanc autem in homine perfectionem atque abſolutionem natura diuturniorem deſiderans, his partibus non incluſit, quarum vis ætate atteri atque infringi poſſet, ſed ſolo complexa eſt cerebro, et reliquâ, quæ in eo plurima eſt, rationis ſupellectile, quæ quidem ijs qui ſtudijs inſeneſcunt, magis ac magis niteſcit, et ſeris ſemper venit melior ab annis. Eòdem ſi accedat illa, quæ mentis organa niteſecit et vſu longo corroborauit longa et multiplex rerum meditatio, et tum cùm plurimùm profuerit, contentiùs ineatur, tunc animus intentione ſuâ facilè depellet preſſum omnem corporis, tametſi annis ingraueſcentis, auertet verò illam tarditatis labem quæ ferè ſenectutem vrget, nullo ſuo, aut cerebri proprio, ſed ſolo inferiorum partium vitio, atque vitæ anteactæ culpâ. Hinc enim pleriſque in hominibus lumen rationis

extinctum occidit, at certo certiùs saluum integrumque seruauissent literæ extremam ætatem secutæ.

V.

MAGNIFICA res est studiosa senectus, expressis et solidis splendescit bonis, sapientiâ et valetudine, in cæteris ætatibus ambæ rarò conueniunt; nam opimo aut teneriori corporis in habitu vel impar sapientiæ animus, vel instabilis valetudo. quidquid senibus simile impendeat, distentum-ve pinguedine abdomen si acumen ingenij obtundat, aut morbis quibus fœtum est, subnascentibus indicat frequens studiis iustitium, res parata est. nouas artes senes excolant, et in addiscendis sese sedulò exerceant, statim intelligent, quî aqualiculi moles deiici, et mens exacui possit: exaruit ætate corpus, et insolenti macilentiâ squallescit, in bibliothecam illi se abdant, seria et seuera studia delicatis ac mitioribus nonnunquam attemperent, quietis ac sedentibus iam redibit habitior valetudo. Sed studiosis sicuti aliis sæpè improuisa senectus obrepit, et incogitantes, ni Medicus videat, mox oppresserit tussi, anhelitu, virium infirmitate, mentis et sensuum stupore ac tarditate. Hæc omnia partim præscindet, si aduentent, partim molliet, si vrgeant, sapientia studio & labore quæsita. Non desunt, qui senectutem vnà et perpetuam inualetudinem pertulerint, intento studijs animo. Nam manent vires senibus, quidquid corpus animus-ve poposcerit responsuræ, manent ingenia, modò permaneat industria et studium.

Ergo senibus studium contentius salubre.

Asserebat Lutetiæ CAROLVS MARTEAV, Laudunæus, A.R.S.H. M. DC. LXIII.

PARISIIS,
Apud FRANCISCVM MVGVET Typographum Regium, viâ Citharæ, ad insigne Adorationis Regum.